

flōres aut hortos exprimerent, clari sunt *Hieronymus Tragus*, *Leon-
bardus Fuchsius*, *Petrus Andreas Matthiolus*, & *Conradus Gesnerus*.
Tragus, quod initium picturæ fecerat, imprimis nominandus,
exhibet 567 icones, sed quod nullus tum temporis aut *Apelles*,
aut *Pyrgoteles* existeret, minus eleganter expressas. *Fuchsi* ele-
gantiores sunt, sed pauciores. Reliqui plures habent, ut dili-
gentissimè observat *Dn. Hermannus Conringius* in exquisitæ eru-
ditionis libro, quem *Introductionem in universam artem medicam*
inscripsit, cap. 10. n. 13. Fuere & alii iique viri doctissimi, qui in
hoc genere non minus suam nobis operam probarunt. Hic enim
quin nominandi sint, *Matthias Lobelius*, *Rembertus Dodonæus*, &
Carolus Clusius, nulli dubitamus. *Lobelij Historia* quæ anno 1576
Antverpiæ prodiit, 1476 figuras exhibet. *Dodonæi* verò, anno
1583 ibidem evulgata, 1368. Atque in his, observante itidem
Conringio l. c. plantæ maximam partem vulgares reperiuntur:
Clusius verò rariorum stirpium figuras dat 1535. uti ejusdem exo-
ticum opus 194. Plures & quidem Germanicarum stirpium ima-
gines satis accuratè depictas exhibuit *Jacobus Tabernemontanus*,
utpotè in cujus opere 2337 spectare figuras licet. Quibus plures de
suo adjecit *Caspar Bauhinus* editione altera operis *Tabernemon-
tani*, quòd facilè reliquis omnibus palmam præripiet. At inquis,
utique datur, quòd huic palmam præripere videtur, *Universalis*
scilicet *plantarum historia*, quæ superiori seculo Lugduni in Gal-
liis prodiit, habens 2686. icones. Sèd eximit nobis dubiolum
ante laudatus *Conringius*, dum à *Bauhino* singulari libro animad-
versum esse scribit, 400 circiter figuras in illo opere bis terve re-
peti, alias ipsis plantis non respondere, alias vitio laborare. Ex
recentioribus seræ posteritati, si quæ futura est, opus insigne reli-
quit *Johannes Bauhinus*, pluribus voluminibus constans, quòd
Bibliothecam p' antaram *Chabreus* vocat ante annos circiter 20.
Eberoduni excusum. In compendium illud redegit jam nomi-
natus *Dominicus Chabreus* & Genevæ 1666 edidit magno cum
applausu Eruditorum. Non immeritò huc quoque referimus *IO.*
Ioustoni Historiam plantarum, cujus tom. 1. de arboribus cum fi-
guris æneis excusus Francofurti est, reliqui brevi expectantur. Præ-
ter